A G A R,
ET ISMAELIS
E X I L I V M

MELODRAMMA

DOCTORIS PAVLI GINI

In Sacello Archiconfraternitatis

SANCTISS. CRVCIFIXI

Apud S. Marcellum Vrbis concinendum

MODVLIS EXPRESSVM

A D. GREGORIO COLA ROMANO

In Eccleſia Sanctæ Mariæ de Planctu
Muſices Magiſtro.



ROMÆ, Typis Ioannis Franciſci Buagni. 1701.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGOMENTO.

N*On hauendo Abramo figlioli da Sara ſua moglie; per conſeglio della medeſima, ſi congiunſe con Agar Egittia ſerua della ſteſſa; quale auuedutaſi grauida diſprezzò la Padrona; Onde queſta, così ſchernita da vna ſua ſerua, la preſe à maltrattare in maniera, che le conuenne fuggirſene; mà incontrata dall' Angelo, e commandatole à tornar in dietro, vbbidì; ed humiliataſi à Sara, di nuouo fù riceuuta in caſa, doue à ſuo tempo partorì vn figliolo chiamato Iſmaele, alleuato, e nodrito nella medeſima caſa di Abramo, e Sara. In queſto tempo fù da Dio promeſſo alli medeſimi, che haurebbero hauuto vn figliolo col nome d'Iſaac; e perche Sara ciò non credeua, anzi ſe ne prendeua riſo, atteſa l'età decrepita d'ambedui, da Dio acremente fù ripreſa di queſta ſua incredulità. Hauutane per tanto, ſecondo la promeſſa di Dio, la prole; dopo qualche tempo, in occaſione che Iſaac doueua slattarſi, Abramo fece vn lautiſſimo banchetto, e vedendo Sara, che il figlio di Agar ſcherzaua con il ſuo figliolo Iſaac, riuoltaſi ad Abramo gli diſſe, che diſcacciaſſe di caſa la ſerua, ed Iſmaele ſuo figlio, che non doueua queſti partecipare nell'Eredità con Iſaac. Abramo riceuè con durezza queſte parole di Sara, per l'affetto che portaua ad Iſmaele ſuo figlio; mà poi hauutone commando da Dio à tutto quello che piaceua à Sara, ſi riſoluette à cacciar di caſa l'una, e l'altro, come già fece.*

Surrexit itaque Abraham manè, & tollens panem, & utrem aquæ impoſuit Scapulæ eius, tradiditque puerum, & dimiſit eam. *Così nella Geneſi al cap.* 21.

INTERLOCVTORES.

AGAR.

SARA.

ABRAHAM.

VOX DOMINI.

Digitized by Google

PARS

PARS PRIMA.

Vox. AVdite, audite gentes
Vox Domini ego ſum, vox Dei quæ loqu
Aſperum Saræ Verbum
De Puero, & Ancilla
Excipit durè Abrahamus;
Vocis autem ſupernæ audiens mandatum
Nobili ſui triumpho
Surgit, pellit è Domo Agar, & Natum
Quis voci Dei reſiſtet fortis?
Cui parent Stellæ
Venti, & procellæ
Orbis ac totus
Seruit Deuotus
Obediunt ei regnaque mortis. Quis
Quæ modo Abraham ignorat
Nouerit lex futura
Erunt enim illius vmbra, & figura:
Ag. Quantum varia humana ſors
Cœca, infida in Orbe ludis
Proteus viſu
Fletu, & riſu
Odio, amore
Spe, timore
Nos mortales hic deludis. Quantum,
O'Agar, infelix Agar
Clama, ſuſpira, & luge
Tu iocus es fortunæ
Sortis inuidæ ludus,

Digitized by Google

Saræ priùs Ancilla
Coniux deindè Abrahami, electa coniux
Prolis Mater fœcunda
Nulli amore ſecunda
Nunc verò, heù quantum piget
Meminiſſe, quam durum;
Exul vnàcum Nato ire coacta
Famula vilior es ad nil redacta.
Dolore meo
Grauior non datur
Aut maior pœna.
Iniquo, & reo
Fato turbatur
Mea frons amœna. Dolore, &c.
Ab. Quæ curarum atra nubes
Agar Ancilla Saræ, amata mea
Lucidum turbat mentis
Tollit frontis nitorem?
Ag. Si dolet, luget Agar
Saram condemna, tuam accuſa Vxorem.
Ab. Vndè ſuccenſus ignis in Ancillam?
Ag. Eius inuidum cor præbuit fauillam.
Ab. Quæ cauſa fuit liuoris?
Ag. Et ſui, & Iſaac nati
Impius comedit eam zelus amoris.
Ab. O' cœcus amor, inuidus, crudelis!
Ne doleas, lugeas Agar
Nouiſti quia te amo
Ediſſere tuas pœnas
Aperi mihi cor, & dic Abrahamo.
Ag. Dum ſydere benigno, & Cœli dono
Puerum

Puerum enixa Sara,
In me, in filium meum
Cœpit cruda ſęuire
Iamque fœra inhumana
Vtrumque à domo tuo cogit abire.
Ab. Fugiat animo tuo
Agar inanis timor
Subdita eſt mihi Sara
Illius non eſt iubere
Sed Viro ſuo parere
Nil fiet quod Saræ lubet
Immotum ſtabit quod Abrahamus iubet.
Terge lacrymas ò cara
Siſte fletum,
Tolle metum
Pone iam fręna mœrori.
Non ſit grauis tibi Sara
Quia leuamen
Et ſolamen
Dabit Abraham tuo dolori. Terge, &c.
Ag. O' dulcia blanda verba
Quæ reddunt fata mea minùs acerba.
Exulta, iubila, cor meum lætare.
Non ſemper liuida nubibus ſidera
Nec ſemper tumida fluctibus æquora
Redit poſt nubila ſplendidior Phebus
Poſt tempeſtates tranquillius Mare.
Exulta, &c.
Sar. Quas tibi feret grates
Cœleſtis Summe Pater
Mulier pro tantis donis?

Sobolem promiſiſti,
Filium mihi dediſti
Qui fuit riſus meus
Iſaac eſt donum tuum, ò magne Deus.
Gloriam dabo, laudem dicam
Deo meo datori munerum,
Omni tempore benedicam,
Cui ſunt claues vitæ, & funerum.
Gloriam, &c.
Vox. Riſiſti iam, fatere nunc ò Sara,
Quem putabas ludentem,
Dominum Omnipotentem.
Non ſicut hominum eloquia numinis
Si Deus iurauit, non pœnitebit.
Tellus peribit
Cœlum tranſibit
Vt aura, vt nebula, & vnda fluminis,
Æternum Domini verbum manebit.
Non ſicut, &c.
Quæ videntur ò Sara
Ludus tibi, ac portenta
Cœli myſteria ſunt, Dei Sacramenta.
Sar. Abraham dilecte Sponſe
Audi vocem Vxoris, annue precanti.
Ab. Loquere, pete ò Sponſa, annuam roganti.
Sar. Inter feſtiuas dapes,
Quas mammis hodiè adempto
Pro caro Iſaac paraſti
Filium Agar cum meo ludere vidi;
Non benè Abraham iunguntur
Iuſto fœdere amico
Dominæ

Dominæ proles, & ancilla natus,
Abraham hoc tibi dico,
Conſcia quod ægrèferes
Iſaac ſit domus tuæ vnicus hęres.

Ab. O' durus mihi ſermo, & durus nodus!
O' graue ſaxum, & oneroſa arena!

Sar. Abraham, Abraham eijce Ancillam
Procul hinc tolle Iſmaelem.

Ab. Tollam hunc, eijciam illam,
Rem non agam tam crudelem.

Sar. Mihi Abrahame nil negaſti
Quare nunc dure te oſtendis?

Ab. Ardua nimis poſtulaſti,
Duris verbis nunc me offendis.

Sar. Virum omnes te laudabunt
Pium, iuſtum, ac fidelem.

Ab. Omnia iura in me clamabunt,
Dicent reum, & infidelem.

Sar. Abraham, Abraham, &c.
Ab. *a 2.* Tollam hunc, &c.

Sar. Voce iubente Dei Abraham quid ages?

Ab. Fluctuat mens, ego ignoro:
Mi Deus opem tuam de Cœlo imploro.

Sar. Fluctuantem video Abraham
Quo ſe vertat, ignorat
Tu qui Mundi regis habenas
Nihil neſcis, & omnia vales
Doce modum
Solue nodum
Rumpe ſaxum, frange catenas.

Ab. O' Sara, ò Agar, Iſaac, Iſmael, ò Deus

Quis

Quis lapidem hunc effringet?
Vox. Vox Domini loquentis.
Ab. Quis hæc vincula ſoluet?
Vox. Vox Dei Omnipotentis.
Ab. Domini ergo vox, Dei vox loquatur
Verbis adſum diuinis
Pauper, puluis, & cinis.
Vox. Super puero, & ancilla
Aſperum tibi, ac durum
Abraham non videatur
Quæ placita ſunt Saræ audito, & age;
Hęſitare iam noli
Surge, vade, ita vult, ſic iubet Deus.
Sunt promptè ſeruanda
Dei verba mandantis
Et nunquam ſcrutanda
Conſilia tonantis.
Ag. Agar, Agar, quid mihi, & puero meo?
Diligit Abraham nos, & odit Sara
Crucior ſpe, ac timore
Siſtit vnus, vrget altera fugam.
Lugete pupillæ
Lenite mœrores
Fulcite languores
Dolentis Ancillæ.
Sitque fons lacrymarum
Qui mulceat cor amarum
Satis enim non ſunt modicæ ſtillæ.
Lugete pupillæ, &c.

Finis primæ Partis.

PARS

PARS SECVNDA.

Sar. O' Sara, felix Sara
Vigil expecta diem
Quæ tibi mox futura
Geret gaudia ſecura.
Veni, redi, ſurge propera
Mundo cara, Cœli lux.
Tu diei
Gaudij mei
Eris fida, & clara dux. Veni, redi, &c.
O' nox auara nox, obruta ſomno
Quas longas protrahis moras,
Eſt mihi ſopor tuus
Grauis labor, non quies,
Si redis alma dies
Pacem cordi tu donas
Agar enim recedet
Domus, ac mentis meæ tormentum, crux. Veni, &c.
Vox. Abraham, Abraham, quid agis
Inter otia ſoporis?
En iam ſurgit aurora
Quæ noctis pellens vmbras
Lucidam pandit comam,
Quæ ſomnia euolant mente, aut larua informis?
Reſonat Dei vox, & adhuc dormis?
Surge Abraham, ſit paratum
Cor fidele, vt pareas Deo;
Sicut vult, age mandatum
Aures verbo inclina meo. Surge, &c.

Ab.

Ab. Surgo iam, cor meum paratum,
Vt fidelis paream Deo,
Sicut vult ago mandatum,
Non amori obediens meo.

à 2. *Vox.* Surge, &c.
Ab. Surgo, &c.

Ag. Siſte moras ò nox, ſiſte quam velox
Præcipiti curris pede;
Lucifer matutinus
Cara ſoboles cara
Heſperus erit nobis.
Tu dormis, dormis nate
Damno meo, damno tuo Sara non dormit
Sperandum tamen fili
Vigilat enim mihi, & tibi Abrahamus
O' ſi fidelis erit,
Ite, fugite laruæ;
Veni decora lux, veni iam dies,
Si veneris optata
Fortunate puelle, Agar beata.
Non me deludes ſpes
Si læta fronte rides,
Et Agar non derides
Quam cara dulcis es. Non me, &c.
Non ſemper mordet fœra.
Time ſi latrat Sara, & ſimul ſpera.

Sar. Quò te rapuit iactantia
Agar famula vilis?
Vt ſinus tumet fœtu
Saram contemnis tuam.
Eiecta iterum redis,

Digitized by Google

Et luci vt prodis natum
Dominam te putas iam, filium hæredem;
Sed ego, dono Dei
Iſaac fœcunda mei,
Quæ me ſpreuit amantem
Nolo Domi, abeat nunc, nolo imperantem.
Iam Cœli verbo, & omine
Ortus Abrahamo eſt hæres;
Exul ergo cum nato
Vade, neque ſperato
Ancillæ filius, Dominæ
Filio quod ſit cohæres.
Iam Cœli, &c.
Expectat vos Ægypti amicus polus
Regnat hìc vna Sara, & Iſaac ſolus.
Ag. O' Sara, ingrata Sara
In famulam, in filium,
Hæc ſunt premia laborum
Abrahami è domo Agar, & nati exilium?
Sar. Saræ ancillam fuiſſe, Abrahami vxorem
Merces non fuit ſublimis?
Munera non ſunt hæc, & magna nimis.
Quot tibi laudes, honores, gloria
Profluent à nobis Abrahamo, & Sara;
Æternum nomen, Agar memoria
Tempus in omne manebit clara.
Ag. Manebit heù manebit
Vxoris, & Ancillæ
Æternum infelix nomen.
Si me cogis abire iniqua Sara,
Exilio quoque meo exules ibunt

Dulces Abrahami amores.
Abraham Abraham tu es mea grauis pœna.
Crudelius non inuentum
Amore fuit tormentum,
Qui carus cordi, & lenis
Solutus iam catenis
Amaros tulit fructus
Curarum, pœnæ ac luctus
Poſt labile momentum. Crudelius, &c.
Vox. Agar, Agar Ancilla
Quid contendis cum Sara?
Saræ verbum prementis
Domini eſt vox iubentis;
Ergo depone iras, tolle querelas,
Abi cum nato in pace
Alta decreta Dei adora, & tace.
Non ſortem, fatum,
Vel cor ingratum
Condemnes famula Saræ crudelis;
Magni ſunt filia
Patris conſilia,
Quæ ſacris homini teguntur velis.
Non ſortem, &c.
Ab. Agar vxor amata, & Iſmael care
Cor meum, viſcera mea
Mandato Dei parendum,
Abire oportet vos, mihi lugendum.
Si receditis domo
In corde meo manetis.
Panis, & Vter aquæ
Quos nunc parat Abrahamus
Sint

Sint vobis eſca, & potus
Itineris, ac fotus
Vitæ miſeræ vitæ.
Eia non ampliùs moræ
Sara vult, iubet Deus ò cari abite.
Mittat ducem Cœli ab arce
Pronus, mœrens rogo Deum
Qui defendat
Viam oſtendat
Eruat telis crudæ parcæ
Cum dilecta filium meum.
Mittat ducem, &c.
Ag. O' care fide Sponſe
Exul ergo tua domo Agar abibit?
Tuus & filius meus?
Ab. Vox Dei locuta eſt, ſic mandat Deus.
Ag. Si Deus mandat ità
En mea, & pueri vita;
Adoro iuſſa Dei, ac voci credo,
Et nunc ſimul cum nato à te diſcedo;
Abeo, nec plùs contendo
Neſciens quæ viæ ſit meta,
Æterno ſoli Deo notum quò tendo.
Hoc autem nouit Agar
Quod tuto incedet greſſu,
Aura & illi ſecunda è Cœlo afflabit
Si fidelis ancilla in Deo ſperabit.
Quàm dulce, quàm bonum
In Deo ſperare
Ab illo expectare
Quod petitur, donum.

Spes hominum vanæ
Sollicitæ, inſanæ;
Imago ſunt floris
Et plenæ timoris
Fugaces
Mendaces
Vt ventus, vt mare
Quàm dulce, quàm bonum in Deo ſperare.

FINIS.

Digitized by Google